# DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE

5.

# CATARRHO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

HENRICUS GARDE,

HIBERNUS,

Soc. Chir. Med. S. H. et Praeſ. Ann.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

Neque cuiquam tam ſtatim clarum ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat.

PLIN. EPIST.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

Patruo ſuo dilectiſſimo,

GULIELMO GARDE,

ARMIGERO,

Propter multa accepta beneficia,

Haſce ſtudiorum ſuorum primitias,

Grato animo,

D. D. C Q.

HENRICUS GARDE.

Joel Harrison with
best wishes from his
sincere friend
the au
Henry Garde

# DISSERTATIO MEDICA,

## INAUGURALIS,

## DE

# CATARRHO.

QUOD modo ſum tractaturus, ſumma noſtra, quoniam tam frequenter occurrit, attentione meretur; reputanti autem cuilibet hunc morbum, quamvis ſeipſa raro lethalem, continuatum tamen, vel male tractatum, aliorum morborum, qui vires medicas maxime celebres plerumque adhuc fefellere, fundamentum jacere poſſe, quod hunc morbum differendum ſelegerim haud alienum (ſpero) videbitur; atque hic quidem praemittere liceat, cum hujuſmodi diſ-

 ſertationes

ſertationes intra limites quoſdam vulgo coerceantur, ne mea nimium extendatur, catarrhum inflammatorium, applicatione frigoris ortum, utpote qui homines frequentius invadat, hic loci tractandum me tantum ſuſcipere.

## HISTORIA MORBI.

Habitu corporis robuſto, temperamento ſanguineo praeditos, hic morbus ſaepiſſime invadit; neque ulla omnino aetas ipſius viribus libera prorſus eſſe videtur. Obſervatum eſt tamen, juniores, quam adultos, ipſi magis eſſe obnoxios, reditusque morbi frequentes, corpus ad reditus frequentiores quaſi praediſponere. Quavis anni tempeſtate frigori ſubito expoſitos, praeſertim ſi calidum fuiſſet corpus, invadere poteſt; praecipue autem graſſatur iis anni temporibus quibus aeſtus et frigus inter ſeſe frequenter alternant, vere ſcilicet et autumno, maxime

maxime vero menſe Martii, "qui," uti Hoffmannus ait, vol. 2. cap. 7. "ob plu-"rimos morbos et mortes quos infert fere "infamis eſt." Hunc morbum variis nominibus, ſecundum partes plus minus affectas, noſologi deſignavere, lineaeque ſequentes nonnunquam hac de re citari ſolent:

> Si fluit ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
> Ad fauces Bronchus, ad nares eſto Coryza.

Videtur tamen morbum in hiſce diverſis partibus ejuſdem ſemper eſſe naturae, atque ex eadem cauſa excitante in omnibus fere caſibus oriri; eoque magis crediderim, hoc diſcrimen nullius eſſe momenti, quod omnes hae partes eodem tempore ſaepius afficiantur. Idem notari poteſt de alio nomine, nempe *tuſſi;* quamvis enim catarrhus ſtadio inflammatorio tuſſi ſemper ſtipatur, cum tamen plurium aliorum morborum ſymptoma inveniatur tuſſis, haudquaquam recte pro titulo generico uſurpari poteſt. In enumerandis hujuſce morbi ſymptomatibus

tibus et progreſſu, verbis utar Profeſſoris noſtri celeberrimi, utpote quae modo eleganti et concinno, quaecunque ullius momenti auctores hac de re protulerint, complectantur.

"It generally begins with ſome difficulty of breathing through the noſe, and "with a ſenſe of ſome fullneſs ſtopping "up that paſſage. This, again, is often "attended with ſome dull pain, and a ſenſe "of weight in the forehead, as well as "ſome ſtiffneſs in the motion of the eyes. "Theſe feelings, ſometimes at their very "firſt beginning, and always ſoon after, are "attended with the diſtillation of a thin "fluid from the noſe, and ſometimes from "the eyes; and theſe fluids are often found "to be ſomewhat acrid, both by their taſte, "and by their fretting the parts over which "they paſs.

"Theſe ſymptoms conſtitute the Coryza "and Gravedo of authors, and are com-

"monly

" monly attended with a ſenſe of laſſitude " over the whole body. Sometimes cold " ſhiverings are felt; at leaſt the body is " more ſenſible than uſual to the coldneſs " of the air; and, with all this, the pulſe " is more frequent than ordinary, eſpeci- " ally in the evenings.

" Theſe ſymptoms have ſeldom conti- " nued long before they are accompanied " with ſome hoarſeneſs, and a ſenſe of " roughneſs and ſoreneſs in the trachea, " with ſome difficulty of breathing, ex- " preſſed by a ſenſe of ſtraitneſs in the " cheſt, and with a cough, which ſeems to " ariſe from ſome irritation felt at the " glottis. This cough is generally at firſt " dry and painful, occaſioning pains about " the cheſt, and more eſpecially in the " breaſt; ſometimes, together with theſe " ſymptoms, pains, reſembling thoſe of the " rheumatiſm, are felt in ſeveral parts of " the body, particularly about the neck " and head. With all theſe ſymptoms,

" the

" the appetite is impaired, ſome thirſt
" ariſes, and a feveriſh laſſitude is felt all
" over the body.

" Theſe ſymptoms mark the violence
" and height of the diſeaſe; but commonly
" it does not continue long. By degrees
" the cough becomes attended with
" a more copious excretion of mucus,
" which is at firſt thin, but, gradually becoming
" thicker, is brought up with leſs
" frequent, and leſs laborious coughing.
" The hoarſeneſs and ſoreneſs of the trachea
" are alſo relieved or removed; and,
" the febrile ſymptoms abating, the expectoration
" becomes again leſs, and the
" cough leſs frequent, till at length they
" ceaſe altogether *."

Talis plerumque hujus morbi hiſtoria; nonnulla tamen occurrere ſolent obſervatu digna. Quo magis corpus humanum, imprudenti vitae ratione, vel alio quovis modo,

* Cullen's Firſt Lines.

do, cauſis hujus morbi occaſionalibus objiciatur, praeſertim ſi aegrum ſaepius antea infeſtaſſet, eo magis urgent ſymptomata, faciliuſque morbi exitus magis periculoſi ſubſequentur. Ita plurimi catarrho affecti cynanche ſimul tonſillari afficiuntur, atque ubi, ex hereditario ſtrumoſo habitu, glandulae pulmonum lymphaticae ad inflammationem ſunt proclives, nullum poteſt haberi dubium quin hic morbus ſuppurationem in iis glandulis creare poſſit, ac proinde eum morbum quem medici adeo formidoloſum, et curatu difficilem, phthiſin ſcilicet pulmonalem, reputaverunt. Haemoptyſin quoque inducere poteſt, quae, etſi non immediate periculoſa, cum tamen phthiſeos pulmonalis fundamentum ſaepius jaciat, certe notatu digna eſt. Phthiſis plerumque, intercedente haemoptyſi, producitur, atque ideo haemoptyſis prorſus metuenda eſt.

Ex repetita inflammatione membranae faucium et tracheae, atque ex frequenti et violenta tuſſi, conditio pulmonum partium-

que

que vicinarum adeo irritabilis inducatur, ut, applicatis cauſis aſthmatis excitantibus, hoc perquam violenter producatur, et plurimos quidem huic affectui obnoxios continua fere dyſpnoea, eaſdem ob cauſas, vexare ſolet.

Inter aetate provectos quoque acceſſus hi frequentes tantam in mucoſis partium ductibus laxitatem gignant, ut magna fluidorum copia has verſus partes derivetur; atque inſueta expectoratio, mane praeſertim, ex accumulatione per noctem facta, perpetue cieatur, hic vocatur catarrhus ſenilis.

## DEFINITIO.

"Pyrexia ſaepe contagioſa, muci ex "glandulis membranae narium, faucium, "vel bronchiorum excretio aucta, ſaltem, "hujus excretionis molimina *."

DIAG-

* Cullen. Cl. Pyrex. Ord. Profluv.

## DIAGNOSIS.

Nonnulli ſunt, quibus hic confundatur, morbi; unus praecipue a quo diſtinguatur admodum neceſſe eſt, phthiſis ſcilicet; et quoniam haec tanti aeſtimanda eſt momenti, diagnoſtica praecipua, veluti a nuperrimis et accuratiſſimis auctoribus enumerata, paulo fuſius proponam.

Supra notatum eſt, quando catarrhus eundem ſaepius infeſtavit, etſi morbus quoad ſymptomata febrilia quieverit, haud raro tamen per aliquod temporis muci quantitatem ejici, qui puris nonnunquam ſpeciem prae ſe fert, et quantitate aliiſque forſan conditionibus aegrum debilitat, et macilentum reddit; quo fit ut phthiſin imminentem magnopere formidet miſellus. Hic igitur videre eſt, quam neceſſaria ſit diagnoſis, non ſolum ad ipſius medici internam voluptatem, verum etiam ad aegri emolumen-

tum, quoniam hi duo morbi diverſam adeo medendi methodum ſibi vindicent. Pus inter et mucum diſcrimen ſtatuere, plurimi, nec quidem ſine ingenio, conati ſunt; omnes tamen methodi objectioni alicui patent; verum enimvero, cum multorum ſimul ratio habenda ſit, nonnunquam haud dubie dijudicare poſſumus.

Quomodo habeatur rectum diſcrimen duplici modo intelligi poteſt: 1*mo*, Obſervando quae oculis noſtris immediate ſubjiciuntur: 2*do*, Experimenta inſtituendo diverſis menſtruis in duas materiei ſpecies, quando inter ſeſe diſcrepare compertum habemus. Quoad primum, neminem latere poteſt, pus et mucum, in ſtatu naturali, ſpeciem prae ſe ferre maxime diverſam; nam mucus ſemper eſt lucidus, pus nunquam non opacum. Ita, quando naturali conditione objiciuntur, nunquam falli poſſumus. Mucus autem ſaepe fit opacus; tum vero flavum, albidum, aut vireſcentem colorem induit. Notatum eſt tamen, non tam viridem eſſe muci

quam

quam puris colorem, mucum etiam magis viſcidum eſſe, et plus cohaereſcere.

In aquam quoque injecta, dijudicandi locum praebent; mucus enim nedum per aquam ex aequo diffundatur; coaleſcentibus manet maſſis una ſpecie rotundis. Contra, pus, quamvis aqua miſceri non poteſt, vas tamen agitando ſtatim in fruſtula lacera ſeparatur, neque ſpeciem muci uniformem et rotundam retinet.

Odore etiam diſtingui poſſunt; namque pus odorem foetidum et ingratum emittit, mucus odoris paulum vel nihil praebet. Propoſitum eſt prunis facere periculum; haec autem methodus eſt valde fallax *. Mucus e pulmonibus ejectus aquae vulgo ſupernatat; pus vero fundum petit; cum autem hoc ex aëris contenti quantitate pendeat, haud tuto poſſumus quidquam ex hac methodo concludere.

Quoad

* Cullen's Firſt Lines.

Quoad ſecundum diſcriminis modum, experimenta ſequentia a Carolo Darwin, nuper defuncto, inſtituta, multo plus lucis quam ulla priora affudiſſe videntur. Ille pus et mucum actioni menſtruorum diverſorum ſubjecit, effectuſque varios obſervavit; poſt multa pericula, ingenioſus ille obſervator, acidum vitriolicum, et alcali cauſticum, quibus fidem poneret digniſſima, invenit; comperit alcali cauſticum, aqua dilutum poſt aliquod tempus, et mucum et pus diſſolviſſe; alcali cauſtico magis aqua diluto, pus praecipitari, ſuſpenſumque manere mucum.

Poſtea acidum vitriolicum aqua miſtum uſurpavit, invenitque utrumque eodem modo diſſolviſſe, mucum autem facillime, atque aqua addita pus praecipitari, agitato liquore diffundi, ſpeciemque uniformis turbidi liquoris praebere. Cum autem mucum in idem menſtruum immiſiſſet, aut ſolutione ſeparabatur, atque ſuperficiei ſupernatabat,

aut

aut in flocculos dividebatur in liquore ſuſpenſos.

Quamvis haec experimenta ſpecioſa videantur, diagnoſticum tamen, me judice, quam luculentiſſime cuperemus, haudquaquam deſignant.

Cum * enim jam innoteſcat, ſerum e vaſis effuſum et ſtagnans, adjuvante calore, pus cito producere, nonne poſſumus ſupputare, quando catarrhus ſaepius iteratur, atque magna humorum copia partes verſus determinatur, horum vaſorum tonum minui, ſerum integrum et purum effundi, quod ſtagnando puris ſpeciem induere poteſt, cum nulla ſimul pulmonum exulceratio acciderit. Si quando hoc evenire poteſt, quod valde probabile videtur, tum quidem, etſi materies revera ſit pus, omneſque puris dotes induerit; cum tamen ita ſeſe res habere poſſit, ut nulla in pulmonibus exiſtat ulceratio,

* Vide Gauber's and Sir John Pringle's Experiments.

ratio, atque ſecretio, ſi tale verbum uſurpare licet, pus ſuppeditans ex ipſa debilitate oriatur, diagnoſticum aliquando malum, vel, quod majoris eſt momenti, malum prognoſticum, ne ſtatuamus metuendum eſt. Diſcrimen certiſſimum mihi videtur eſſe febris hecticae praeſentia vel abſentia; praeſente hectica, et ſtipante magna debilitate, nihil dubii quin morbus ſit phthiſis reſtare poteſt.

Pertuſſis principio cum catarrho confundatur; ſed paulo poſtea majore vi tuſſiendi, ſtridulo fragore ſibi proprio et vomitu, catarrhum raro ſtipante, facile diſtingui valet. Nonnulli ſunt alii morbi qui ad hoc caput reduci potuiſſent, veluti angina pectoris, aſthma ſpaſmodicum, &c.; diſcrimina autem adeo ſunt facilia, ut hic loci deſignare haudquaquam neceſſe duxerim.

## CAUSÆ REMOTÆ.

Supra dixi catarrhum homines robuſti habitus plerumque invadere, atque ſi anni tempeſtates ubi ſaepiſſime occurrit reputamus, cum diatheſis phlogiſtica iis praecipue temporibus praevaleat, talem concluſionem deducere haud difficile erit. Quando autem frigus hominibus debilis et imbecillis habitus applicatur, diarrhoeam ſaepe excitat, quod apud homines diverſae conſtitutionis catarrhum excitaviſſet. Hic quoque habemus, ad ſuſtentandam hanc opinionem, validum et plenum pulſum, cum inflammatoria ſanguinis ſpecie; haudquaquam tamen aſſerere vellem robuſtum ſolummodo habitum huic morbo eſſe opportunum, cum vix ullus plagas haſce ſeptentrionales habitaverit, qui catarrho nunquam fuerit affectus. Ejus catarrhi ſpeciei, quam hic tractandam ſuſcepimus, cauſae occaſionales ſunt frigus,

cuivis

cuivis corporis parti, praecipue autem pectori, collo, vel capiti, applicatum, ejus quoque effectus, conjuncta humiditate, certiores fiunt, qualia ſunt veſtimenta humida, atque tempeſtate frigida et madida equitatio; alia quoque ſunt quae frigoris actioni favent, veluti corpus ſaltatione calefactum aëri nocturno exponere, vel feneſtrae, ubi aër pleno flumine irrumpit, aſſidere.

## CAUSA PROXIMA.

Videtur eſſe auctus fluidorum fluxus ad mucoſam membranam narium, faucium, et bronchiorum, cui forſan addatur inflammatio harum partium, praeter phlogoſin irritatione effuſae materiae inductam.

RATIO

## RATIO SYMPTOMATUM.

Spirandi per nares difficultas, oritur ex inflammatione et congeſtione in membrana mucoſa, quae iter per quod tranſit aër coarctant, et quodammodo obſtruunt; hoc quoque ſymptoma tranſitum ſanguinis per pulmones difficilem facit, atque hoc una cum fluidorum ad partes internas derivatione, dolorem et gravedinem capitis et oculorum producit. Eroſionis partium ratio facile patet; ex aucta nimirum fluidorum ad has partes derivatione, unde major fit ſecretio, ideoque augetur profluvium; ſic tenuitate et copia mucum, quo hae partes naturali ſtatu defenduntur, abradit. His autem omiſſis, partes hujus fluidi conſtituentes morbidam ſubire poſſunt mutationem; ſic particulis ſalinis materiei perſpirabilis jamjam obſtructae oneretur; tuſſis ab irritatione et diſtenſione glottidis partiumque vicinarum proficiſci poteſt.

## PROGNOSIS.

Simplex catarrhus, vel illa ſpecies de qua hic agitur, raro eſt periculoſus *, atque in juvene ſanae et validae conſtitutionis, liceat affirmare, nunquam eſſe perito medico metuendum. In iis autem habitus perquam debilis et aetate provectis, catarrhus ſaepe repetitus debilitando et relaxando partes tantum, et tam conſtantem humorum fluxum inducat, ut haud parum moleſtiae, imo et periculi multum, inferat; namque, ubi quantitas eſt ampla, neque aegro reſtant expectorandi vires, tunc ne ſuffocetur timendum eſt, atque haudquaquam nimis fauſta praeſagire oportet. Apud juniores repetita et violenta tuſſis, praeſente diatheſi phlogiſtica, haemoptyſin excitet, vel talem inducat pulmonum ſtatum, ut in iis tubercula oriantur †, vel ſi jam adſunt tubercula, irritentur

* Gregory's Element's, ſect. 284.

† Monro's Mill. Diſ. Hoſp. p. 124.

ritentur atque in ſuppurationem reddantur proclivia; ſicque phthiſis producatur; in hiſce caſibus judicium ſuſtinere oportet medicum, vel talia ſaltem praeſagire, qualia ex iis ſymptomatibus, abſente prorſus catarrho, praeſagiſſet.

## RATIO MEDENDI.

In mitibus catarrhi caſibus, cujuſmodi ſane ſunt plerique, medicina ſtricte ſic dicta raro opus eſt; ſymptomata enim adeo levia ſunt, ut nihil aliud curae, niſi aptum regimen, poſtulent, veluti abſtinentiam a cibo animali, liquoribus calidis et ſpirituoſis, &c. eorumque loco oportet aegrum uſurpare panem, vegetabilia, fructuſque, quando per anni tempeſtatem liceat; pro potu affatim bibat liquorem quemvis diluentem, veluti aquam hordeatam, ptiſanam, toſti panis infuſum aquoſum, cui palati gratia addatur aromatis alicujus paululum, ſicut ſalvia, &c.

Una

Una cum his, ſi modicum caloris gradum adhibeamus, vel aegrum in lecto aliquandiu requieſcere praeſcribamus, cito ad ſuperficiem fluida deriventur, eodemque modo lenis perſpiratio ſuſtentanda donec ſymptomata quodammodo quieverint, ubi ad uſitatam olim vivendi rationem gradatim revertatur.

Sic igitur communes catarrhi caſus tractare poſſumus; quando autem ſymptomata magis ſunt violenta, quando urget tuſſis doloribus circa pectus, et ſpirandi difficultate ſtipata, quando pyrexia in dies augeſcit, una cum aliquo cynanches tonſillaris gradu, cute arida et ſiti, tunc quidem medico opus eſt, atque conſilia ſequentia ſtatuere oportet.

1*mo*, Diatheſin phlogiſticam tollere.

2*do*, Determinationem fluidorum ad partes internas prohibere.

*3tio*, Symptomatibus maxime urgentibus obviam ire.

Diatheſis phlogiſtica tolletur, ſi aegro regimen ſtricte antiphlogiſticum exhibeamus, eique ſit curae irritantia quaeque et caloris vel frigoris nimium praeſertim vitare; diaeta ſit leviſſima, quinetiam ab omni ſolido victu admodum abſtinuiſſe fortaſſe proſit. Alvus mitibus laxativis ſervetur libera, vel potius enematibus, utpote quae determinationem ad partes internas, aeque ac purgativa ore aſſumpta, nequaquam augeant. Summi vero eſt momenti perſpirationem reſtituere. *Venaeſectio* plurimum plerumque confert; et, ſi quando ſymptomata urgent, iteretur; cavendum tamen eſt ne nimio uſu habitum ad frequentes morbi reditus proclivem reddat, atque inter aetate provectos inducat morbum qui nuncupatur catarrhus ſenilis; ſanguinis autem emiſſi ſpecies, atque ſymptomatum facies, quid ſit factu optimum perito medico ſatis deſignabunt.

Sublata

Sublata hoc modo diatheſi phlogiſtica, fluidorum deinde determinationem ad partes internas noſtrum eſt prohibere. Quamobrem profluvium per cutem reſtituere maxime proderit; ad hoc ſudorifica exhibeantur, qualia ſunt ſales medii, miſta diluentis cujuſdam levis liquoris ampla ſatis quantitate. Tartarum emeticum refractis doſibus adhibitum plerumque efficax eſt, et tutum ſudorificum; ſi autem ſudorem modo antea memorato educere poſſimus, magis gratum aegro faciemus; balneum quoque tepidum vel ſemicupium, vel, quod factu facilius eſt, crurum et pedum lotio, maximum ſaepe contulere levamen, neque unquam ſunt omittenda.

Symptomatibus maxime urgentibus obviam ire. Hic tuſſis ſummam attentionem noſtram ſibi vindicat, cum ex convulſivo thoracis motu dolores circa pectus maxime pendeant. Quando tuſſis ex inflammatione partium oritur, quod ſupra dictum eſt de tollenda diatheſi phlogiſtica, in hoc caſu

uſurpari

uſurpari poteſt, ex acrimonia et tenuitate materiae effuſae plerumque pendet; quod-cunque igitur ab ejus actione partes defendit, adhibendum eſt, veluti gummi Arabicum, extractum glycirrhizae, gelatina, et his ſimilia.

Demulcentia quoque acriter commendata ſunt; utrum autem necne tali vi gaudeant, valde dubium videtur. Ad promovendam expectorationem ſcillae perquam utiles inventae ſunt; non, ut credo, ulla ſibi propria in pulmones actione, ſed potius ciendo nauſeam in ventriculo, atque hoc modo producendo generalem relaxationem. Aquae calidae vapores magno etiam ſunt levamini; atque methodus maxime idonea eos inhalandi eſt ope inſtrumenti Domini Mudge, ad hunc uſum conſtituti. Sublata autem inflammatione, opiata ſunt praeponenda, quippe quae non ſolum concilient ſomnum, qui propter tuſſim tam frequentem magnopere turbari ſolet, verum etiam ſinant materiam ſtagnare, donec quodam-

modo

modo concreſcat, atque ſic magna ex parte naturalem induat ſpeciem.

Ut dolores circa pectus amoveantur, veſicatoria quam proxime parti affectae applicata uſui ſint, vel cucurbitulae cruentae, cum earum operatio minus dolorifica ſit, atque a Doctore Hope maximo cum ſucceſſu in Noſocomio Regio Edinenſi uſurpentur.

Quando excretio copioſa per longum tempus continuatur, debilitate oriens, ſtimulantia et tonica exhibenda ſunt, cum lenibus emeticis, et exercitatione modice uſurpata; poſtea tonus partium confirmetur uſu gargariſmatum aſtringentium, quae in poſterum inaequali fluidorum diſtributione ne afficiantur, prohibebunt.

F I N I S.